

Venio cito. Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Et infra vers. 20. Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuit mihi januam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Luculentius eadem inculcat S. Apostolus in fine Apoc. ipsius cap. xxii. 7. Et ecce, inquit, venio velociter. Et vers. 12. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera ejus. Et vers. 20. Dicit, qui testimonium perhibet istorum. Etiam Venio cito. Amen. Veni, Domine Jesu.

Accedat nunc Burnetus, nobisque deprædicet unum Christi Adventum, unum illius Judicium in fine sæculorum, atque in tempus adeo enorme differat proborum præmia, & pœnas improborum. Exigat ille a nobis, ut sacrarum Literarum loca proferamus, quibus ante magnum illum diem alius ostendatur Domini Adventus, & expedita operum retributio. En loca, en lucem, a qua ipse oculos avertit, ad gloriam e novitate dogmatis captandam unice intentus. Non nobis, inquam, ille ingeminet, *Adventum Domini* de solemnitate tantum illius apparitione in fine Mundi esse intelligendum. Quantum is fallatur, jam perspeximus. *Dies* quoque *Domini* non semper supremum Judicium indicat, quum Apostolus ad Philipp. 1. 6. scripserit: *Qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in Diem Christi Jesu*: hoc est, usque ad obitum vestrum, perseverantiae gratiam vobis impertiendo. Atque huc facere, simulque hinc accipere posse interpretationem videtur locus Johannis Apóst. *xxi. 22.* ubi Dominus de ipso dixit ad Petrum: *Sic eum volo manere, donec Veniam; quid ad te? Exiit ergo sermo ille inter fratres, quia Discipulus ille non moritur. Et non dixit Jesus, non moritur; sed: Sic eum volo manere, donec Veniam: quid ad te?* Johannes profecto Hierosolymorum excidio superstes fuit, ad quod Dominus se Venturam prædixit. Tunc ergo habes completum Christi vaticinium. At Apostoli, quod Domini Adventum ad pœnas de Judæis sumendas tunc minime excogitarent, arbitrati fuere, ad postremum Orbis Judicium differendam fore Johannis mortem. Eiusdem vero S. Johannis verba nuper accepimus, hortantis tunc viventes, ut quum Christus apparuerit, habeant fiduciam, quem brevi Venturum prodit. At inquit Burnetus p. 59. *Judicium nulum memorat Scriptura sacra ante finem Mundi*. Tam loca adtextit, quibus Scriptura supremum illud Judicium nobis annuntiat. Matth. *xxv. 31.* *Quum venerit Filius hominis in majestate sua &c. & statuet oves quidem a dextris suis &c. & Prima ad Corinth. 3. 13.* *uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim declarabit &c. & Secunda ad Corinth. v. 10.* *Omnes enim vos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum &c.* Subdit Burnetus: *In his, quæ pendent a voluntate Dei & a revelatione divina, non licet ad arbitrium fingere novam rerum œconomiam, ut hypotesi serviamus. Verum hujusmodi œconomiam veluti novam ille sibi fingit, post-*